AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS DISPVTATIONIBVS EXAGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVI. NOVEMBRIS, D. SIMONE BAZIN DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

Magis ne ab Aëre quam ab Alimentis corpus immutatur?

TEMPERATISSIMVM quidem homini corpus inter animalia tributum eſt: Communibus tamẽ elementis non ſynceris ſed per tota confuſis quia conſtare oportuit, mutationi fluxuique perenni obnoxiũ euaſit: Cuius compagem ſtructuramque mirabilem conſtituunt ſpiritus (facultatũ ſedes & inſtrumenta, necnon ſenſus, vitæ, & nutritionis auctores) Humores (actu in ſanguine contenti) & partes ſolidæ ex ſanguine ortæ: Quorum perpetua iugique mutatione & fluxu ſtatim ab ipſo ortu ſingulis temporum momentis immutatur. Quem triplicem ſubſtantiæ noſtræ fluxum à duplici calore proficiſcentem natura ſui conſeruatrix & prouida triplicis ſubſtantiæ acceſſione reſarcit: Spirituum quidem ab aëre (ſuapte natura calido) iugiter attracto, Humorum & partium ſolidarum deceſſum ineuitabilem potulentorum & eſculentorum appoſitione & aſſimilatione reparat.

SPIRITVS corporei, aëreæ tenuiſque ſubſtantiæ, oculorum aciem effugientes, quamuis æthereæ nonnihil naturæ contineant, impura tamen aura in eorum alimoniam cedente, prauam eamque inexplicabilem ἀγαθοῖσιν principibus partibus (celerius tamen Cerebro quam Cordi & Hepati) cõmunicant: vnde morborum acutorum (quibus febris non neceſſario aſſidet, cum nõ perpetuo acreis ſed potius lentos craſſoſque humores habeant comites) propago enaſcitur. Eadem aura graui & inſolita mutatione variis inquinamentis obſita, νοσερὴν παρἀπόκρισιν planè obtinet: vnde malignam ſoli aut Cœli qualitatem in Corpus deferens, morbos epidemios contagione deleterios (à prauo etiam victu progigni aptos) ingenerat. Qualitatum vero exuperantia per tempeſtatum viciſſitudines ſiccitatis ac imbrium vim ſecum deferens ἐπιχώρια νοσήματα & ſub diſperſorum ſpecie ſimpliceis epidemios (quibus quiddam etiam cacoethes ineſſe fatendum eſt) immittit.

VT temperatis corporibus temperatus aër ſic intemperatis contraria qualitate exuperans optimus ac ſaluberrimus exiſtit. Impendio autem calidior coctionem minuit, bilem torridam facit, ſudores prolicit, atque exhauſtis ſpiritibus vires deiicit, vnde mors ſtatim conſequitur: adeo vt qui in eo continuam vitam degunt breuioris æui eſſe ratio perſuadeat. Frigidior denſat cutem, perſpirationem impedit, vnde excrementorum ſuppreſſio grauiſſimorum morborum fomes: tandemque prohibito ſanguinis, ſpiritus vitalis, aut animalis commeatu, repentinæ mortes ferè ſubeunt. Humidus ſuprà modum aër in vniuerſum morboſiſſimus. Siccus ſaluberrimus. Impurus denique aër fœdat ſpiritus & humores, nubemque quaſi caliginem iis inducit. Spiritibus enim cæteris omnibus violentius imperat circunfuſus aër, Aquarum regionum pariter ac ventorum naturas atque anni conſtitutiones imitatus. Tales proinde ſunt ſpiritus qualis aër qui inſpiratur.

NEQVE vero longè minorem immutandi corporis vim obtinent poculentorum & eſculentorum vitioſa ſubſtantia, praua qualitas, immoderata quantitas, Ordo ciborum præpoſterus, intempeſtiua ſumptio: A quibus dum ventriculus à ſuo munere auocatur vitioſos ſuccos parit, qui nec Hepatis (humorum opificis) nec cæterarum partium vi emendari poſſunt. Hinc cruditas crapulæ perennis comes, imo omnium morborum radix. Hinc nobis ſæpe imprudentibus laudabilis euchymiæ atque euexiæ in improbam demum καχεξίαν hydropis prænuntiam degeneratio. Hinc labefactata tota naturæ œconomia corpus cacochymia tenetur, quæ non aliunde magis quam ex praui & vitioſi ſucci alimentis conciliatur: in qua ſi nutritio fiat, tota vitioſa eſt: Vnde multorum affectuum origo ſumitur.

CVM autem varia alimentorum facultas ac materia è terræ frugibus animantiumque naturis in corpus aſſumpta vbique mutationẽ protinus aliquam ſubeat, Coctionem vero ſuccorum humorumque omnium (ſuis vſquequaque alimentis conſentaneorum) parentem ac genere tantum triplicem (quam propria molitur partium ſubſtantia) non ſtatim nec paſſim recipiat: A victus ratione, temperamento, anni cœlique ſtatu magis minuſve conuenienti, maior minorve cuiuſque proueniens affluentia corporis habitum ſemper quidem immutabit, non tamen ſemper labefactabit. Hinc innumerabiles functionum noxæ emergunt, & morbi quidem contumaces, minus tamen quam ab Aëre funeſti: Ab eo enim latius graſſantur, celerius ſua percurrunt tempora, medicamenta ferè reſpuunt indomiti coctionique inuicti, nec medico dant inducias: vnde in propinquo mors.

Ergo magis ab Aëre quam ab Alimentis Corpus immutatur.

ASSEREBAT PETRVS COLLIER PARISINVS. Anno Domini 1598.

Domini Doctores Diſputaturi.

M. Petrus Paulmier.	*M. Iacobus d'Amboiſe Med. Reg.*	*M. Ioannes Haultin.*
M. Petrus Ponſon Med. Reg.	*M. Iacobus Couſinot.*	*M. Sulpitius Rigault.*
M. Anthonius Quiquebeuf.	*M. Petrus Seguin Prof. Reg.*	*M. Bartholomeus Perdulcis.*